

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI III  
DE ECCLESIAE  
MUNERE DOCENDI**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI III  
DE ECCLESIAE  
MUNERE DOCENDI**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

---

*Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas  
usque ad finem mensis octobris 1978 datur*

---

## PRAENOTANDA

Canones aliqui generales principia quaedam enuntiant quae ad munus Ecclesiae docendi pertinent. Mirum quidem quibusdam videri potest aliqua principia quae in Codice Iuris Canonici a. 1917 proponuntur hoc in schemate legis recognitae deficere; ita revera in hoc schemate non habentur principia in can. 1323 CIC enuntiata, quibus scilicet una ex parte definitur fide divina et catholica credenda esse quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur, et altera ex parte determinatur sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium esse tum Concilii Oecumenici tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis. Haec vero principia generalia, sicuti et alia quaedam, enuntiantur in schemate quod inscribitur *Lex Ecclesiae Fundamentalis* et ideo in schemate canonum *De Ecclesiae munere docendi* iterum enuntianda non sunt.

Expositis iisdem principiis, sequuntur quinque tituli, in quibus canones traduntur ad diversas quaestiones quae spectant ad munus docendi sese referentes. *Titulus I* canones continet de divini verbi ministerio in genere. *Titulus II* canones complectitur qui actionem Ecclesiae missionalem respiciunt. *Titulus III* canones comprehendit, quibus praescripta praebentur de educatione christiana. *Titulus IV* generales canones tradit de instrumentis communicationis socialis et in specie de libris. Tandem *Titulus V* aliqua praescripta refert de fidei professione.

## CANONES INTRODUCTORII

Principium generale imprimis enuntiatur, vi cuius Ecclesiae officium et ius est, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi. De obligatione quoque agitur hominum veritatem, quam cognoscant, amplectendam et servandam.

In can. 4 definiuntur, non quidem uti in CIC, quinam veniant nomine haereticorum, schismaticorum et apostatarum, sed quid sit haeresis, apostasia et schisma, atque affirmatur haeresis, apostasiae aut schismatis reos tantum esse qui mala fide talia admiserint.

Tandem aliquae dantur normae quae de promotione et directione motus oecumenici agunt (cfr. *Communicationes*, 7, 1975, 150).

TITULUS I  
DE DIVINI VERBI MINISTERIO

Ad modum introductionis, habentur canones, in quibus ante omnia determinatur quibusnam competit munus Evangelium annuntiandi, quaenam deinde sint media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibenda, et tandem de requisita missione canonica agitur.

Inter media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibenda principem locum semper tenent praedicatio atque catechetica institutio, licet et alia media momentum habeant. Inde duo capita in hoc titulo habentur, in quibus scilicet canones proferuntur de verbi Dei praedicatione (Caput I) et de catechetica institutione (Caput II).

CAPUT I  
DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

In hoc capite I de verbi Dei praedicatione in genere agitur et in specie de *homilia*. Cum generalia de praedicatione habeantur in hoc capite praescripta, magis logicum visum est ut de praedicatione verbi Dei praescripta tradantur antequam de catechetica institutione agatur.

Imprimis sub hoc capite statuitur *quinam ipso iure* facultate gaudeant praedicandi. Ratio, uti patet, habetur praescriptorum quae habentur in M. P. Pp. Pauli VI, *Pastorale munus*, d. 30 novembris 1963. Qui vero ipso iure eandem facultatem non habent, eandem recipere possunt ab auctoritate competenti. Determinatur ergo quaenam sit haec auctoritas competens ad facultatem verbi Dei annuntiandi concedendam.

Sequuntur deinde normae quibus statuitur *quibusnam* facultas praedicandi concedi possit. Regula est eandem per se solis sacerdotibus et diaconis concedi posse, et ad praedicandum in ecclesia non esse admittendos laicos, nisi, de iudicio Ordinarii loci, certis in adiunctis necessitas aut utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta. Mens autem est laicos admitti non posse ad praedicationem quae revera est pars ipsius sacrae Liturgiae, uti v. g. est *homilia* in celebratione eucharistica.

De praedicationis formis proponuntur normae, in quibus attenditur ad praescripta quae *de homilia* statuuntur in Concilio Vaticano II (Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52); in Instructione S. Congr. Rituum, ad executionem dictae Constitutionis data d. 26 sept. 1964, atque in Resp. Pont. Comm. Decretis Conc. Vat. II interpretandis data d. 11 ian. 1971.

De doctrina quae in praedicatione est tradenda normae etiam enuntiantur, quae praesertim innituntur praescriptis quae a Concilio Vaticano II edita sunt in Decreto *Christus Dominus*, n. 12.

Notetur in can. 13, § 3, normam tradi de requisitis ad sermonem de doctrina catholica faciendum via radiophonica aut televisifica (cfr. *Communicationes*, 7, 1975, 150-153).

## CAPUT II

### DE CATECHETICA INSTITUTIONE

Officium imprimis affirmatur gravissimum et proprium pastorum praesertim animarum catechetica institutionem populi christiani curandi.

Determinantur deinde partes quas in institutione catechetica curanda habent Episcoporum Conferentiae, Episcopi dioecesani, parochi, ceteri presbyteri et diaconi, sodales Institutorum vitae consecratae necnon ceteri christifideles, et in specie parentes.

De ratione catechetica institutionem tradendi etiam praebetur norma.

Tandem obligatio affirmatur locorum Ordinariorum curandi ut qui ad catechetica institutionem mittantur, ad munus suum rite adimplendum debite praeparentur (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 14); (cfr. *Communicationes*, 7, 1975, 153-154).

## TITULUS II

### DE ACTIONE ECCLESIAE MISSIONALI

Attenduntur hisce in canonibus doctrina et praescripta a Concilio Vaticano II tradita, praecipue in Constitutione dogmatica *Lumen gentium*, nn. 17 et 23, in Decreto *Ad gentes divinitus*, nn. 6, 11, 12, 15, 17, 21, 23, 30 et 38, necnon in Decreto *Christus Dominus*, n. 6

Imprimis agitur de iis quibus competit munus Evangelium ubique terrarum annuntiandi necnon directio et promotio inceptorum et actionum quae ad opus missionale et ad actionem missionariam pertinent.

Definiuntur quid sit actio proprie missionalis atque quinam missionarii dici debent, et quaenam sint horum officia.

De admissione ad *catechumenatum* normae praebentur deque catechumenis instituendis et mysterio salutis initiandis; item *de neophytis* magis instituendis praescriptum datur.

De *catechistis* et *catechistis auxiliaribus* insuper praescripta statuuntur.

Tandem quaedam obligationes Episcopi dioecesani necnon Episcoporum Conferentiae enuntiantur.

TITULUS III  
DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Quae in CIC habentur praescripta sub titulo *De scholis* (cann. 1372-1383), funditus recognita et ordine magis logico proponuntur sub titulo *De educatione christiana*. In hoc titulo imprimis fundamentales quaedam normae proponuntur de educatione christiana, et deinde sequuntur tria capita, in quibus agitur de scholis (Caput I), de studiorum superiorum institutis (Caput II) et de universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum (Caput III).

NORMAE QUAEDAM FUNDAMENTALES

Normae fundamentales quae hic, ad modum introductionis, traduntur innixae praesertim sunt doctrina quae habetur in Declaratione *Gravissimum educationis*, nn. 3, 7, 9, 10.

*Ius christifidelium* imprimis asseritur ad educationem christianam, qua ad maturitatem humanam personae prosequendam adducantur atque insimul mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

*De officio educationem christianam curandi* deinde praescripta traduntur, in quibus magis in specie agitur de obligatione et de iure *parentum* in educatione curanda atque de parte quam in eadem habet *Ecclesia*. Fundamentum eorum obligationum et iurium distincte affirmatur.

Tandem declaratur institutionem educationemque in doctrina christiana magni esse faciendam ab omnibus christifidelibus, qui nempe omnes de nuntio evangelico annuntiando solliciti esse debent.

CAPUT I  
DE SCHOLIS

Magnum momentum habent scholae, quae quidem parentibus in filiis educandis auxilio praecipuo sunt.

In scholis eligendis parentes libertate gaudeant oportet in societate civili, ut illas possint eligere scholas quarum institutio cum eorundem convictionibus conveniunt.

Normae traduntur, quae definiunt quibusnam scholis parentes filios concredere possunt. In schemate proponuntur normae quae sequuntur: 1° quantum id sinant adiuncta, parentes filios concredant illis scholis, quae uti reapse catholicae a Hierarchia agnoscuntur; 2° si tales scholae deficient, filios concredant illis scholis, in quibus institutioni doctrinae christianae providetur; 3° si vero et tales deficient, parentes ipsi obligatione tenentur curandi ut extra scholam educationi christianae filiorum prospiciatur, iuxta normas ab Episcoporum Conferentia datas.

Normae etiam traduntur de scholis quae reapse sunt catholicae et de iure Ecclesiae tales scholas erigendi.

Tandem denique normae habentur quibus de competentia agitur auctoritatis ecclesiasticae quoad educationem iuventutis religiosam in quibuslibet scholis et institutis atque quoad scholas catholicas in aliquo territorio sitas sicut et instituta et opera, quae ad institutionem formationemve christianam populi Dei pertinent.

## CAPUT II

### DE STUDIORUM SUPERIORUM INSTITUTIS

Sub hoc capite agitur de diversis studiorum superiorum Institutis, praesertim de Universitatibus et Facultatibus in quibus diversae excoluntur et traduntur scientiae. Magni eas facit Ecclesia, quia ad personae humanae promotionem et altiorem hominum culturam conferunt et ita ad veritatem revelatam quoque altius cognoscendam auxilio esse valent.

Prior norma enuntiata agit de iure gerendi nomen Universitatis catholicae.

Deinde norma datur quae iniungit Episcoporum Conferentiis curam providendi ut habeantur Universitates, in ipsarum territorio apte distributae, in quibus variae disciplinae ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christianae.

Praescripta quaedam deinde habentur de studiis theologicis in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expediat, etiam in aliis Universitatibus, promovendis, iuxta declarationem Concilii Vaticani II (cfr. *Communicationes*, 7, 1975, 158-159).

## CAPUT III

### DE UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

De fine quem Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum prosequi debent deque methodo in studiis adhibenda imprimis normae enuntiantur.

De erectione earundem Universitatum et Facultatum deinde normae traduntur, necnon de earundem statutis et de studiorum ecclesiasticorum ratione.

Praescripta etiam proponuntur de earundem Universitatum Facultatumque alumnis, praescripta scilicet quibus obligationes determinantur locorum Ordinariorum necnon Moderatorum Institutorum vitae consecratae atque etiam Universitatum Facultatumque moderatoris et professorum.

Tandem de cooperatione earundem Facultatum inter se deque cooperatione earum cum aliis Universitatibus et Facultatibus agitur (cfr. *Communicationes*, 7, 1975, 159-160).



TITULUS IV  
DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS  
ET IN SPECIE DE LIBRIS

Generales imprimis normae officia enuntiant quibus, *ad usum instrumentorum communicationis socialis* quod attinet, tenentur Ecclesiae pastores, necnon christifideles ipsi, ii praesertim qui quoquo modo in eorundem instrumentorum ordinatione aut usu partem habent. Quae normae nituntur praescriptis Decreti Concilii Vaticani II *Inter mirifica*, nn. 1, 2, 3, 13.

Officium et ius affirmatur Ecclesiae pastorum invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detrimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem aut mores tangunt scripta edenda vel orationes instrumentis communicationis socialis diffundendae, suae approbationi subiiciantur; necnon prohibendi quominus christifideles libros fidei aut bonis moribus contrarios legant, retineant, vendant aut cum aliis communicent.

Normae deinde traduntur quae respiciunt approbationem *librorum* vel *aliorum scriptorum* divulgationi publicae destinatorum, qui de certis argumentis agunt. Quae normae in specie respiciunt: 1° editionem librorum Sacrarum Scripturarum (cfr. Const. dogm. *Dei Verbum*, nn. 22, 25); 2° editionem librorum liturgicorum; 3° editionem catechismi aliorumque scriptorum ad institutionem catechetica pertinentium; 4° libros qui ad quaestiones spectant ad Sacram Scripturam, ad Sacram theologiam, Ius canonicum, Historiam ecclesiasticam, et ad religiosas aut morales disciplinas pertinentes; 5° scripta quae ad causas beatificationis et canonizationis servorum Dei pertinent; 6° collectiones decretorum aut actorum ab aliqua auctoritate ecclesiastica editas. Ad libros de quibus sub 4° indicatos quod attinet, notetur praescripta enuntiarum quae sequuntur: 1) commendatur ut iidem aliique libri in quibus aliquid habetur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit, approbationi subiiciantur Ordinarii; 2) iidem libri, nisi sint cum approbatione auctoritatis competentis editi, adhiberi non possunt in scholis quibuslibet uti textus quibus institutio nititur.

Speciales etiam quaedam obligationes enuntiantur, et demum normae traduntur de librorum censoribus deque sententiis quas de libris dant qui ipsis submissi sunt.

TITULUS V  
DE FIDEI PROFESSIONE

In hoc titulo recensentur quinam obligatione tenentur emittendi personaliter professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, atque insimul statuitur coram quonam eandem emittere debent. Habentur in hoc titulo quae in CIC cann. 1406-1408 continentur praescripta, novis institutis et hodiernis adiunctis aptata.

## CANONES GENERALES

### *Can. 1 (CIC 1322)*

§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

§ 2. Ecclesiae officium est et ius, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi.

### *Can. 2 (novus)*

§ 1. Omnes homines, cum veritatem in iis quae Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt quaerere teneantur, veritatem evangelicam veramque Ecclesiam, quam cognoscant, amplectendi ac servandi lege divina obligantur ac iure gaudent.<sup>1</sup>

§ 2. Ad amplectendam fidem catholicam a nemine unquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt.<sup>2</sup>

### *Can. 3 (CIC 1324)*

Cum eis quae ab Ecclesia proponuntur tanquam de fide divina et catholica credenda, fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quae ad proscribendas prohibendasque erroneas opiniones ferant proprius Episcopus, Episcopi regionis vel provinciae ecclesiasticae in Conciliis particularibus aut Episcoporum Conferentiis, speciali vero ratione quae edat Apostolica Sedes.

<sup>1</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Dignitatis humanae*, n. 1.

<sup>2</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Dignitatis humanae*, n. 2, 4.

*Can. 4 (CIC 1325)*

Dicitur haeresis, pertinax, post receptum baptismum, alicuius veritatis fide divina et catholica credendae denegatio aut de eadem dubitatio; apostasia, fidei christianae ex toto repudiatio; schisma, subiectionis Summo Pontifici aut communicationis cum Ecclesiae membris eidem subditis detrectatio. Haeresis, apostasiae aut schismatis rei non sunt nisi qui culpabiliter talia admiserint.

*Can. 5 (novus)*

§ 1. Sedis Apostolicae imprimis est promovere et dirigere motum oecumenicum quem vocant, actiones et incepta ad christianam unitatem fovendam suscitando et ordinando; Episcoporum Conferentiae item est eadem promovere, atque pro variis adiunctorum necessitatibus vel oportunitatibus, normas practicas statuere.

§ 2. Publicae preces pro christianorum unitate inter catholicos, etiam cum non catholicis convenientes, foveantur, praesertim in quibusdam peculiaribus adiunctis, servatis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis.

*Can. 6 (CIC 1326)*

Episcopi, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus aut Conferentiis congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate supremae Ecclesiae potestatis, veri fidei sunt doctores seu magistri.

TITULUS I  
DE DIVINI VERBI MINISTERIO

*Can. 7 (CIC 1327 § 1)*

§ 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminent praedicatio Evangelii; Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam.<sup>3</sup>

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est.<sup>4</sup>

§ 3. Illud munus exercent Episcopi singuli, unusquisque pro Ecclesia particulari sibi commissa, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam iuris.<sup>5</sup>

*Can. 8 (CIC 1327 § 2)*

§ 1. Episcopi officio Evangelium annuntiandi per se ipsi tenentur.

§ 2. Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei annuntiandi; praesertim hoc officio tenentur, quoad gregem sibi commissum, parochi aliique quibus cura animarum concreditur; diaconorum etiam est in diaconia verbi Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire.<sup>6</sup>

§ 3. In hoc munere adimplendo Episcopi dioecesani insuper in auxilium sibi assumant sodales Institutorum vitae consecratae necnon idoneos probatosque laicos utriusque sexus.

<sup>3</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 25; Decr. *Christus Dominus*, n. 5.

<sup>4</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23.

<sup>5</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 3.

<sup>6</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4; Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30.

*Can. 9 (novus)*

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibeant Episcopi in hodierno tempore quae praesto sunt, imprimis praedicationem atque catechetica institutionem, quae quidem semper principem locum tenent, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorundam eventuum factis, prelo aliisque instrumentis communicationis socialis.<sup>7</sup>

*Can. 10 (CIC 1328)*

Nemini licet quodvis ministerium verbi Dei annuntiandi exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, sive facultate specialiter data, sive officio collato cui vi iuris hoc munus inhaereat.

CAPUT I

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

*Can. 11 (novus)*

Cum Dei Populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedicationis magni habeant Christi ministri, quippe quorum primum officium sit Evangelium Dei omnibus evangelizandi.<sup>8</sup>

*Can. 12 (novus)*

§ 1. Episcopus, etiam titularis, ubique terrarum praedicandi habet facultatem, atque in omnibus ubique ecclesiis aut oratoriis, etiam exemptis, praedicare potest, nisi loci Ordinarius in casibus particularibus id expresse renuerit.

§ 2. Ordinarius loci, licet dignitate episcopali non sit insignitus, ius habet praedicandi in qualibet sui territorii ecclesia vel oratorio, quamvis exemptis.

<sup>7</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 13; Decr. *Inter mirifica*, nn. 13 et 14.

<sup>8</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4.

*Can. 13* (CIC 1337-1338)

§ 1. Solius Ordinarii loci est facultatem praedicandi pro suo territorio concedere aliis clericis, sive saecularibus sive Instituti vitae consecratae sodalibus, etiam exemptis, salvo praescripto § 2.

§ 2. Ad praedicandum in clericali Instituto vitae consecratae iuris pontificii coram sodalibus aliisque in domo instituti diu noctuque degentibus, facultatem facit eorum Moderator, ad normam Constitutionum, et quidem non tantum sodalibus proprii Instituti sed etiam clericis saecularibus et sodalibus alius Instituti, dummodo tamen a proprio Ordinario aut Moderatore idonei fuerint iudicati.

§ 3. Ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, serventur praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

*Can. 14* (CIC 1339)

§ 1. Qui ab Ordinario loci facultatem obtinuerint, praedicare non possunt ad sodales Instituti laicalis vitae consecratae exempti sine eorundem Moderatoris licentia, nec ad moniales regularibus subiectas sine Moderatoris regularis assensu.

§ 2. Sodales Instituti vitae consecratae omnes praeterea, ut facultate recepta uti possint, indigent proprii Moderatoris licentia.

*Can. 15* (CIC 1339)

Ordinarius loci sodalibus Instituti vitae consecratae, qui a proprio Moderatore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne deneget concessamque semel facultatem ne revocet.

*Can. 16* (CIC 1340)

§ 1. Loci Ordinarius aut Moderator Instituti vitae consecratae competens, facultatem aut licentiam praedicandi ne concedat nisi illis qui sunt moribus probi et qui sufficienti et certa doctrina gaudere probati sunt per examen ad normam can. 140 (de Sacramentis); concessam semel facultatem aut licentiam sine gravi causa ne revocet.

§ 2. Contra decretum quo revocatur facultas aut licentia praedicandi, datur recursus, sed non in suspensivo.

*Can. 17 (CIC 1341)*

§ 1. Episcoporum Conferentiae est insuper normas statuere quibus definiantur conditiones et licentiae requisitae ut sacerdotes extradioeclesiani, sive saeculares sive Instituti vitae consecratae sodales, a parochis aut ecclesiarum rectoribus invitari possint.

§ 2. In ecclesia paroeciali quae simul sit capitularis aut consociationis propria, invitationem facere, servatis praescriptis Episcoporum Conferentiae, ad parochum pertinet, nisi de functionibus agatur capitulo aut consociationi propriis.

*Can. 18 (CIC 1342)*

Facultatem praedicandi Ordinarius loci et Moderator Instituti vitae consecratae concedat solis sacerdotibus aut diaconis; ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adiunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, salvo can. 19, § 1.

*Can. 19 (novus)*

§ 1. Inter praedicationis formas eminet homilia, quae est pars ipsius liturgiae et sacerdoti aut diacono reservatur; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur.<sup>9</sup>

§ 2. In omnibus Missis diebus dominicis et festis de praecepto, quae in ecclesia aut oratorio, aut, servatis canonum praescriptis, sub diu, concurrente populo celebrantur, homilia habenda est nec omitti potest, nisi gravi de causa.<sup>10</sup>

§ 3. Valde commendatur ut, si sufficiens detur populi concursus, homilia habeatur etiam in Missis quae infra hebdomadam, praesertim quae tempore adventus aut quadragesimae aut quae occasione sive alicuius festi sive rei luctuosae celebrantur.<sup>11</sup>

§ 4. Parochi aut ecclesiae vel oratorii rectoris est curare ut haec praescripta religiose servantur.

<sup>9</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52; Resp. Pont. Comm. Decretis Conc. Vat. II interpretandis, 11 ian. 1971: *AAS*, 63, 1971, p. 329.

<sup>10</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52.

<sup>11</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 49; Instr. *Inter Oecumenici*, n. 53.

*Can. 20* (CIC 1346)

Episcopi dioecesani est praeterea normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis temporibus vel occasionibus, in quibus iuxta rerum adiuncta, id opportunum videatur.

*Can. 21* (novus; CIC 1347 § 1)

§ 1. Divini verbi praecones integrum Christi mysterium fidelibus proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia ipsum Christum ignorare est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.<sup>12</sup>

§ 2. Impertiant etiam fidelibus doctrinam quam Ecclesiae magisterium proponit de personae humanae dignitate et libertate, deque officiis quibus personae obstringuntur familiae atque obligationibus quae ad homines in societatibus coniunctos pertinent.<sup>13</sup>

§ 3. Ipsis ostendant quoque res terrestres et humana instituta secundum Dei consilium ad hominum salutem ordinari, ut res temporales, quibus arcte coniunguntur, illuminare et ordinare ita valeant ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris.<sup>14</sup>

*Can. 22* (novus; CIC 1347 § 2)

Doctrinam christianam proponant modo auditorum conditioni accommodato atque ratione temporum necessitatibus aptata, simul curantes ut quaestionibus quibus maxime anguntur homines sui temporis respondeant atque in difficultatibus quibus premuntur superandis eos sustineant.<sup>15</sup>

*Can. 23* (CIC 1349)

Parochi, etiam sodales Instituti vitae consecratae, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, illas ordinent praedicationes, quas exercitia spiritualia missionesve vocant, quibus nempe praecipuae christianae doctrinae veritates fidelibus exponantur.

<sup>12</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12.

<sup>13</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12.

<sup>14</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12.

<sup>15</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 13; Const. *Gaudium et Spes*, n. 4.



*Can. 24* (novus; CIC 1350 § 1)

§ 1. Solliciti sint sacri ministri, praesertim Episcopi et parochi, ut Dei verbum iis quoque nuntietur qui ob vitae suae condicionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruuntur aut eadem penitus carent.<sup>16</sup>

§ 2. Provideant quoque ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ac fideles, animarum cura, quae semper spiritu missionali informetur oportet, complecti debeat.

## CAPUT II

### DE CATECHETICA INSTITUTIONE

*Can. 25* (novus; CIC 1329)

Proprium et gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticae populi christiani curae institutionem, ut fidelium fides, per doctrinam illustrata, viva sit atque explicita et operosa.<sup>17</sup>

*Can. 26* (novus)

§ 1. Servatis normis ab Apostolica Sede praescriptis atque votis suis cum eadem Apostolica Sede communicatis, Episcoporum Conferentiae est, pro suo cuiusque territorio, normas de re catechetica edicere, curare ut Directorium, catechismi aliaque catechesis instrumenta rite elaborentur et divulgentur necnon operam impendere ut incepta catechistica apte foveantur et coordinentur.

§ 2. Apud Episcoporum Conferentiam instituat, sub ductu Commissionis pro catechesi, Officium catechisticum, cuius praecipuum munus sit prospicere universae nationis vel regionis ecclesiasticae necessitatibus.

*Can. 27* (novus)

§ 1. Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopus dioecesanus insuper praescripta edicere tenetur, quae ad populum

<sup>16</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 18; Pius Pp. XII, Const. Apost. *Exul Familia*, 1 aug. 1952: *AAS*, 44, 1952, pp. 649 ss.

<sup>17</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14.

in doctrina christiana instituendam spectant; quae quidem praescripta omnes servare obligantur, sodales quoque Institutorum vitae consecratae, etiam exempti.

§ 2. In singulis diocesibus Officium catechisticum habeatur.

*Can. 28* (CIC 1333 et 1334)

§ 1. Parochus, vi muneris sui, religiosam institutionem puerorum, iuvenum et adultorum curare tenetur, et in hoc munere explendo operam adhibere debet presbyterorum ac diaconorum in paroecia degentium, sodalium Instituti vitae consecratae atque etiam laicorum, virorum ac mulierum.<sup>18</sup>

§ 2. Presbyteri atque diaconi, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere auxilium praestare tenentur.

§ 3. Sodales Instituti vitae consecratae quoque, viri ac mulieres, ad catechetica institutionem populo tradendam libenti animo cooperari debent; Moderatores Institutorum vitae consecratae, etiam exempti, tenentur per se vel per suos sodales populo christiano catechetica institutionem tradere.<sup>19</sup>

§ 4. Alii etiam fideles, viri ac mulieres, sufficienti et certa doctrina qui praediti sunt, libenter ad hanc institutionem curandam adiutricem operam praestent.

*Can. 29* (novus; CIC 1335)

Parentes, quippe qui praecipui filiorum sint educatores, itemque qui eorum locum tenent atque patrini obligatione tenentur curandi ut pueri sibi subiecti vel commendati catechetica institutione debite erudiantur.<sup>20</sup>

*Can. 30* (CIC 1330; 1331; 1336)

Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

<sup>18</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30.

<sup>19</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 1°.

<sup>20</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 3.

1° normas statuere ut pueri ad sacramenta poenitentiae et confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur;

2° praescripta item statuere ut iuvenes qui primam Communionem receperint uberius ac perfectius in doctrina christiana excolantur;

3° normas etiam edere ut, ratione eorum conditioni accommodata, provideatur catecheticae institutioni adultorum.

*Can. 31 (novus)*

Institutio catechetica ininitatur oportet S. Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio vitaeque Ecclesiae, et tradatur omnibus adhibitis auxiliis, subsidiis didacticis et communicationis instrumentis, quae efficaciora videntur ut fideles, ratione eorum indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus aptata, plenius religionis doctrinam ediscere eamque aptius in praxim deducere valeant.<sup>21</sup>

*Can. 32 (novus)*

Curent locorum Ordinarii ut qui ad catecheticae institutionem tradendam mittantur, ad munus suum rite explendum debite praeparentur, ut nempe Ecclesiae doctrinam apte cognoscant atque normas scientiae psychologicae et disciplinis paedagogicis proprias theoretice ac practice addiscant.<sup>22</sup>

<sup>21</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14; Decr. *Inter mirifica*, n. 16.

<sup>22</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14.

TITULUS II  
DE ACTIONE ECCLESIAE MISSIONALI  
(CIC cann. 1350-1351)

*Can. 33*

§ 1. Romano Pontifici, cui singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est, competit suprema directio et coordinatio inceptorum et actionum quae ad opus missionale atque ad cooperationem missionariam pertinent.<sup>23</sup>

§ 2. Munus Evangelium ubique terrarum annuntiandi et diffundendi item competit Episcoporum Collegio; immo et singuli Episcopi, utpote Ecclesiae universae atque omnium Ecclesiarum sponsores, operis missionalis peculiarem sollicitudinem habeant.<sup>24</sup>

*Can. 34*

Actio proprie missionalis Ecclesiae praesertim in mittendis praecognitis perducitur usquedum novellae Ecclesiae plene constituentur, quae scilicet propriis gaudent viribus atque sufficientibus instruuntur mediis quae requiruntur ut opus evangelizandi per se ipsae peragere valeant.<sup>25</sup>

*Can. 35*

Missionarii dicuntur clerici saeculares, Institutorum vitae consecratae sodales et christifideles laici, viri aut mulieres, sive autochtoni sive exteri, qui cum congrua naturali indole praediti sint ac dotibus et ingenio idonei iudicentur, a legitima auctoritate ecclesiastica ad opus missionale explendum mittuntur.<sup>26</sup>

<sup>23</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 6 et 29.

<sup>24</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 6.

<sup>25</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 17; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 6.

<sup>26</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 23.

*Can. 36*

§ 1. Missionarii, vitae ac verbi testimonio, dialogum sincerum, iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, cum nondum in Christum credentibus instituant, ut ipsis, ratione eorundem ingenio et culturae apta, aperiantur viae quibus ad Christi evangelicum nuntium cognoscendum adduci valeant.<sup>27</sup>

§ 2. Curent etiam ut quos ad evangelicum nuntium admittendum aestiment aptos, veritates fidei edoceant, ut, ipsi libero plene consensu si id petant, ad baptismum recipiendum admitti possint.

*Can. 37*

§ 1. Qui voluntatem fidem in Christum amplectendi manifestaverint, expleto tempore praecatechumenatus, liturgicis caerimoniis admittantur ad catechumenatum, atque eorum nomina scribantur in libro ad hoc destinato, ad normam legis liturgicae.

§ 2. Catechumeni, per vitae christianae institutionem et tirocinium, apte initientur mysterio salutis atque introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis populi Dei, et apostolatus.

§ 3. Episcoporum, sive singulorum sive in Conferentiis adunatorum, est statuta ad normam legum liturgicarum edere quibus catechumenatus ordinetur, etiam determinando quaenam a catechumenis sint praestanda atque definiendo quaenam eis agnoscantur praerogativae.<sup>28</sup>

*Can. 38*

Neophyti, apta institutione ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia baptismate suscepta apte implenda efformentur; sincero amore erga Christum eiusque Ecclesiam imbuantur spiritu oecumenico quoque attento.<sup>29</sup>

*Can. 39*

§ 1. In opere missionali adimplendo uti cooperatores assumantur catechistae, qui nempe continuo labore sese devovent ut viam evangeli-

<sup>27</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 11-12.

<sup>28</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 13-14.

<sup>29</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 15.

zationi parent atque missionariis adiutorio sint; quare efformentur catechistae, sive in scholis ad hoc destinatis, sive, ubi desint, sub modamine missionariorum.<sup>30</sup>

§ 2. Ad auxilium praestandum a loci Ordinariis aut ab ipsis missionariis, de consensu proprii Ordinarii, vocari possunt catechistae auxiliares, qui scilicet ad tempus aut partim operi missionali vires suas dedicant.<sup>31</sup>

*Can. 40*

§ 1. Iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, Episcopi dioecesani est in suo territorio:

1° promovere, moderari et coordinare quae ad actionem missionalem spectant incepta et opera;<sup>32</sup>

2° normas edere quae ad praeparationem pastoraalem suorum missionariorum et catechistarum pertinent;<sup>33</sup>

3° curare ut debitae ineantur conventiones cum Moderatoribus Institutorum quae operi missionali se dedicant, utque relationes cum iisdem in bonum cedant Missionis;<sup>34</sup>

4° operam dare ut etiam in christifidelibus laicis suscitetur spiritus missionarius.<sup>35</sup>

§ 2. Praescriptis ab Episcopo dioecesano editis, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt, subsunt omnes missionarii, etiam Institutorum exemptorum sodales, eorumque auxiliares in eius ditioe degentes.

*Can. 41*

Episcoporum Conferentiae diversarum regionum opera instituant ac promoveant, quibus qui e terris missionum laboris aut studii causa ad territorium suum accedunt, fraterne recipiantur et congruenti pastorali cura adiuventur.<sup>36</sup>

<sup>30</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 17, 35.

<sup>31</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 17.

<sup>32</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 30.

<sup>33</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, passim.

<sup>34</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 32.

<sup>35</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 21.

<sup>36</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 38.

TITULUS III  
DE EDUCATIONE CHRISTIANA

*Can. 42* (novus)

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem propriaeque indoli consentaneam, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam, qua quidem ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur atque insimul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.<sup>37</sup>

*Can. 43* (novus)

§ 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, necnon qui eorum locum tenent, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum est etiam educationem christianam filiorum curare.<sup>38</sup>

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum curare, qui integre filiorum formationi personali ac sociali faveat.<sup>39</sup>

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere quorum opera filiorum formationi providere valeant, ideoque et ea eligere media et instituta, quibus, iuxta locorum adiuncta et attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, filiorum educationi christianae aptius prospicere queant.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competat fruendi subsidiis quibus in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda

<sup>37</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 1-2.

<sup>38</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 3.

<sup>39</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 3.

indigent, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eis formatio tradatur christiana harmonico gressu cum profana progrediens.<sup>40</sup>

*Can. 44 (novus)*

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi omnesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.<sup>41</sup>

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles, praeprimis iuvenes, fruantur.

*Can. 45 (novus)*

Ecclesiae est adiutricem suam operam praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quippe quae ad commune omnium patrimonium pertineant, et ita insimul Ecclesia omnibus populis adiutorium praestat ad promovendam integram personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestri promovendum atque humanius hunc mundum aedificandum; immo, speciali ratione ipsi officium est ut, quantum id requirant adiuncta, formationi operam det in disciplinis terrenis, quatenus nempe cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.<sup>42</sup>

*Can. 46 (novus)*

Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad plenioram veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntius evangelicus, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius diffundatur et ab hominibus reapse recipiatur.

<sup>40</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 7.

<sup>41</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 3.

<sup>42</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 3.



*Can. 47 (novus)*

§ 1. Cum vera educatio integram persequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et iuvenes ita excolantur oportet ut suas dotes físicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum acquirant et ad vitam sociale[m] active participandam conformentur.<sup>43</sup>

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorundem educationi christianae obstant, eidem quam maxime faveant, utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.<sup>44</sup>

## CAPUT I DE SCHOLIS

*Can. 48 (novus)*

§ 1. Inter media ad excolendam educationem christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis implendo praecipuo auxilio sunt.<sup>45</sup>

§ 2. Cum magistris scholarum, quibus filios educandos concedant, parentes arcte cooperentur oportet, eos sua fiducia omnique ope sustentantes; qui vero magistri, sive clerici vel Institutorum vitae consecratae sodales sive laici, eximio muneri iuvenes educandi in scholis se devotent, cum, ad bonum quidem societatis insimul dum adlaborant, locum teneant parentum, in officio suo persolvendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi sunt quorumque consociationes vel conventus instaurentur atque magni existimentur.<sup>46</sup>

<sup>43</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 1.

<sup>44</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Inter mirifica*, nn. 8-9.

<sup>45</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 5.

<sup>46</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 8.

*Can. 49 (novus)*

Parentes in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscat<sup>47</sup>.

*Can. 50 (novus)*

§ 1. Parentes, quantum id sinant adiuncta, filios concredant illis scholis quae uti reapse catholicae a Hierarchia sint agnitae; quae scholae si deficient, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. In casibus in quibus filios scholis de quibus in § 1 concredere non possint, ipsi parentes obligatione tenentur curandi, ut extra scholas debitae eorundem educationi christianae prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica competenti latas.

§ 3. Episcoporum Conferentiae, atque, eiusdem praescriptis attentis, Episcopo dioecesano competit normas edicere, territorii sui conditionibus aptatas, ad officia definienda parentum quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concredere licet.

*Can. 51 (novus)*

Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant.

*Can. 52 (CIC 1375)*

Ecclesiae ius est scholas cuiusvis disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi.

<sup>47</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 6.

*Can. 53* (novus; CIC 1379)

§ 1. Si praesto non sint, quae ab incoeptis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcopi dioecesani est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expediat, Episcopi dioecesani est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant.<sup>48</sup>

*Can. 54* (novus)

§ 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentia et loci Ordinarius ut institutio quae in iisdem traditur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Loci Ordinarius sollicitus quoque sit scholarum non catholicarum sui territorii, curans praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes.

*Can. 55* (novus)

§ 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuventutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiae et loci Ordinarii est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Episcopo dioecesano competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae ab Institutorum vitae consecratae sodalibus conditae sint et dirigantur; eidem item competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum: quae praescripta valent de scholis quoque quae ab iisdem sodalibus, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.<sup>49</sup>

<sup>48</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 9.

<sup>49</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 35, sub 4; M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, 39, § 1.

§ 3. Episcoporum Conferentiae atque loci Ordinario competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationemve christianam Populi Dei pertinent, ea quoque quae alicuius Instituti vitae consecratae sodalium exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur.<sup>50</sup>

*Can. 56 (CIC 1381 § 3)*

§ 1. Episcoporum Conferentiae pro scholis interdioecesanis sui territorii, et loci Ordinario pro sua dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut non amplius adhibeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in Directorio alicui regioni proprio.

*Can. 57 (novus)*

Curent Episcopi dioecesani singularum regionum ecclesiasticarum, consiliis quidem inter se atque cum Episcopis dioecesanis aliarum etiam regionum initis, ut de re scholastica communis quantum fieri possit adhibeatur agendi ratio, utque inter scholas diversarum regionum apta foveatur coordinatio atque, quatenus id sinant adiuncta, etiam collaboratio.<sup>51</sup>

<sup>50</sup> Cfr. *M. P. Ecclesiae Sanctae*, I, 39, § 2.

<sup>51</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 12.

CAPUT II  
DE STUDIORUM SUPERIORUM INSTITUTIS

*Can. 58* (novus)

Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur et traduntur disciplinae scientificae, quippe quae, ad altiorem hominum culturam necnon ad pleniorum personae humanae promotionem cum conferant, bono eorum spirituali quoque proficiant, quaeque praeterea, ad profundiorum rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant.<sup>52</sup>

*Can. 59* (novus; CIC 1376)

Nulla studiorum Universitas nomen « Universitatis catholicae » gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen « Universitas catholica » ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia concessum sit.

*Can. 60* (novus)

§ 1. Ubi, attentis omnibus adiunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae curent ut habeantur Universitates, in ipsarum territorio apte distributae, in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendo studio atque ratio habeatur veritatis revelatae, prout ab Ecclesiae Magisterio declaratur.<sup>53</sup>

§ 2. Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesanii quorum interest officium et ius habent invigilandi ut in Universitate catholica fideliter principia doctrinae christianae serventur.

*Can. 61* (novus)

§ 1. Ut theologica inquisitio arctius cum quaestionibus cuique tempore propriis connectatur atque hominibus variarum disciplinarum ex-

<sup>52</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10.

<sup>53</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10.

cultoribus ad pleniorē fidei quoque scientiam universalioremque ordinis creati cognitionem auxilio esse valeat, curet Auctoritas ecclesiastica competens ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expediat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur.<sup>54</sup>

§ 2. In singulis Facultatibus Universitatis catholicae lectiones habeantur in quibus eae praecipue tractentur quaestiones theologiae quae cum disciplinis earundem facultatum sunt conexas.<sup>55</sup>

*Can. 62 (novus)*

Curent earundem Universitatum moderatores et professores ut variae Universitatis Facultates sibi inter se praestent operam, atque amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando eosque promovendo, in scientificis perquisitionibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo.<sup>56</sup>

*Can. 63 (novus)*

Provideant Episcoporum Conferentia regionis atque Episcopus diocesanus ut christifidelibus adultis quoque praebetur possibilitas ad profundiorē in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academiae scientiarum religiosarum, in quibus nempe doceantur disciplinae theologiae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent.

*Can. 64 (novus)*

Qui in studiorum superiorum Institutis quibuslibet lectiones tradunt theologicas aut cum theologia conexas missione egent canonica.

<sup>54</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. *Gaudium et spes*, n. 57.

<sup>55</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 36.

<sup>56</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 12.

CAPUT III  
DE UNIVERSITATIBUS  
ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

*Can. 65 (novus)*

§ 1. Ecclesia, vi muneris sui veritatem revelatam docendi, fovet Universitates Facultatesque studiorum ecclesiarum, quae scilicet fines persequuntur ea quae ad disciplinas sacras vel cum sacris conexas pertinent pervestigandi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientificè instituendi.<sup>57</sup>

§ 2. Cultus ac promotio scientiarum ecclesiarum scientificè prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianae plenius aperiat, quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur atque dialogus etiam cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus foveatur.<sup>58</sup>

§ 3. Quo altior ipsis scientifica tradatur formatio, instituantur alumni praecipue in directa fontium cognitione, in investigationibus aliorumque laborum scientificorum usu, atque edoceantur in conclusionibus ad synthesim redigendis, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant.

*Can. 66 (novus; CIC 1376)*

§ 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiarum constitui tantum possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiarum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet Instituti vitae consecratae, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata.

<sup>57</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 11.

<sup>58</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 11.

*Can. 67 (novus)*

Quo Universitates Facultatesve studiorum ecclesiasticorum valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuantur, iudicium de earumdem erectionis opportunitate competit sive Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 66, § 1, earumdem erectionem approbare.<sup>59</sup>

*Can. 68 (CIC 1377)*

Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate a Sancta Sede concessa.

*Can. 69 (novus)*

§ 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant studiorum rationem, quae determinatur ab Apostolica Sede et, servatis quidem normis ab eadem editis, ab auctoritate ad quam, secundum earum statuta, suprema hac de re in iisdem Universitatibus Facultatibusve ordinatio spectat.

§ 2. Quae de studiorum superiorum institutis in can. 60, § 2, et 64 statuuntur praescripta, de Universitatibus Facultatibusque studiorum ecclesiasticorum quoque valent.

*Can. 70 (novus)*

§ 1. Quatenus dioecesis aut Instituti vitae consecratae, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii locorum aut Institutorum Moderatores competentes ad Universitates Facultatesve studiorum ecclesiasticorum mittere iuvenes et clericos et sodales indole, virtute et ingenio praestantes.<sup>60</sup>

§ 2. Ordinarium est curare ut debite provideatur institutioni spiritali iuvenum qui aspirant ad diaconatum vel ad sacerdotium, qui in

<sup>59</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10.

<sup>60</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 18; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10.



Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordinariorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastorali quoque prospicere.<sup>61</sup>

*Can. 71 (novus)*

Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent.<sup>62</sup>

<sup>61</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 18.

<sup>62</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 12; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 62.

TITULUS IV  
DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS  
ET IN SPECIE DE LIBRIS

*Can. 72* (novus)

§ 1. Ecclesiae pastores quippe quorum est veritates fidei annuntiare ac tueri necnon morum integritatem tutari, in hoc suo munere explendo, iure Ecclesiae ad normam can. 57<sup>63</sup> *Legis Ecclesiae Fundamental*is proprio utentes, instrumenta communicationis socialis adhibere satagant.

§ 2. Iidem pastores curent ut fideles edoceantur se officio teneri cooperandi ad fidei veritates diffundendas, integre proponendas et servandas moresque sartos tectos habendos, necnon providendi ut scripta et instrumentorum communicationis socialis usus humano christianoque spiritu vivificentur.

§ 3. Omnes christifideles, ii praesertim qui quoquo modo iis eorundem instrumentorum ordinatione aut usu partem habeant solliciti sint operam adiutricem actioni pastoralis praestare, ita ut Ecclesia etiam iisdem instrumentis munus suum efficaciter exercent.<sup>64</sup>

*Can. 73* (CIC 1384 § 1)

§ 1. Ut veritatum fidei morumque integritatem servant ac tueantur, officium et ius est Ecclesiae pastoribus invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detrimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem moresve tangant scripta edenda

<sup>63</sup> Hic est textus canonis:

§ 1. Ecclesiae, quippe cui Christus Dominus fidei depositum concrediderit ut ipsa, Spiritu Sancto assistente, veritatem revelatam sancte custodiret, intimius perscrutaretur, fideliter annuntiaret atque exponeret, officium est et ius nativum, etiam mediis communicationis socialis sibi propriis adhibitis, a qualibet humana potestate independens, omnibus gentibus Evangelium praedicandi.

§ 2. Ecclesiae competit semper et ubique principia moralia etiam de ordine sociali annuntiare, necnon iudicium ferre de quibuslibet rebus humanis, quatenus personae humanae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant.

<sup>64</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Inter mirifica*, nn. 1, 2, 3, 13.

aut orationes instrumentis communicationis socialis diffundendae, suae approbationi subiiciantur; necnon prohibendi quominus christifideles libros fidei aut bonis moribus contrarios legant, immo vel retineant aut vendant, aut cum aliis communicent.<sup>65</sup>

§ 2. Officium et ius de quibus § 1 competunt Episcopis, tum singulis tum in Conciliis particularibus Episcoporumve Conferentiis adunatis quoad christifideles suae curae commissos, atque supremae Ecclesiae auctoritati quoad universum Dei Populum.

*Can. 74* (CIC 1385 § 2; 1384 § 2)

§ 1. Nisi aliud statuatur, loci Ordinarius, cuius approbatio ad libros edendos iuxta canones huius tituli est petenda, est loci Ordinarius proprius auctoris aut Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, ita tamen ut, si eorundem alteruter approbationem denegaverit, non liceat auctori eandem ab altero petere, nisi eundem de denegata approbatione certiore faciat.<sup>66</sup>

§ 2. Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet scriptis divulgationi publicae destinatis applicanda sunt, nisi aliud constet.

*Can. 75* (CIC 1385 § 1, nn. 1, 3; 1391)

§ 1. Libri Sacrarum Scripturarum edi non possunt nisi qui aut ab Apostolica Sede aut a loci Ordinario approbati sunt; itemque eorundem versiones in linguam vernaculam ut edi possint, requiritur ab eadem auctoritate sint approbatae atque insimul necessariis et sufficientibus explanationibus sint instructae.

§ 2. Versiones Sacrarum Scripturarum convenientibus explanationibus instructas, communi etiam cum fratribus seiunctis opera, parare atque edere possunt christifideles catholici, de licentia loci Ordinarii.<sup>67</sup>

<sup>65</sup> Cfr. S. Congr. pro Doctrina Fidei, Decr. *De Ecclesiae pastorum vigilantia circa libros*: AAS, 67, 1975, 281.

<sup>66</sup> *Ibid.*, art. 1.

<sup>67</sup> *Ibid.*, art. 2; cfr. Conc. Vat. II, Const. *Dei Verbum*, nn. 22, 25.

*Can. 76 (CIC 1390)*

§ 1. Libri liturgici itemque eorum versiones in linguam vernaculam eorumve partes ne edantur nisi de mandato Episcoporum Conferentiae atque sub eiusdem vigilantia, approbante quidem Apostolica Sede.

§ 2. Ut iterum edantur libri liturgici qui a Sede Apostolica probati sunt necnon eorum versiones in linguam vernaculam ad normam § 1 factae et approbatae, eorumve partes, constare debet de concordantia cum editione approbata ex attestazione Ordinarii loci in quo publici iuris fiunt.

§ 3. Libri quoque preces ad orationem privatam proponentes ne edantur nisi de licentia loci Ordinarii.<sup>68</sup>

*Can. 77 (CIC 1385 § 1, n. 2)*

§ 1. Catechismi necnon alia scripta ad institutionem catechetica pertinentia eorumve versiones, ut edantur, approbatione egent loci Ordinarii aut Conferentiae Episcopalis sive nationalis sive regionalis.

§ 2. Nisi cum approbatione competentis Auctoritatis ecclesiasticae editi sint, in scholis, sive elementariis sive mediis sive superioribus, uti textus quibus institutio nititur adhiberi non possunt libri qui ad quaestiones spectant ad Sacram Scripturam, ad Sacram Theologiam, Ius canonicum, Historiam ecclesiasticam, et ad religiosas aut morales disciplinas pertinentes.

§ 3. Commendatur ut libri materias de quibus in § 2 tractantes, licet non adhibeantur ut textus in institutione tradenda, itemque scripta in quibus aliquid habetur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit, approbationi subiiciantur loci Ordinarii.<sup>69</sup>

*Can. 78 (CIC 1387)*

Scripta quae ad causas beatificationis et canonizationis servorum Dei pertinent, sine licentia S. Congregationis pro causis Sanctorum edi nequeunt.

<sup>68</sup> S. Congr. pro Doctrina Fidei, Decr. *De Ecclesiae pastorum vigilantia circa libros*, art. 3.

<sup>69</sup> *Ibid.*, art. 4.

*Can. 79 (CIC 1389)*

Collectiones decretorum aut actorum ab aliqua auctoritate ecclesiastica editae, iterum edere non licet, nisi impetrato prius eiusdem auctoritatis assensu et servatis condicionibus ab eadem praescriptis.

*Can. 80 (CIC 1386)*

§ 1. In diariis, foliis aut libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores manifesto impetere solent, ne quidpiam conscribant christifideles, nisi iusta et rationabili de causa; clerici autem et Institutorum vitae consecratae sodales, tantummodo approbante loci Ordinario.<sup>70</sup>

§ 2. Episcoporum Conferentiae est normas statuere de requisitis ut clerici atque sodales Institutorum vitae consecratae partem habere valeant in tractandis via radiophonica aut televisifica quaestionibus, quae ad doctrinam catholicam aut mores attinent.

*Can. 81 (CIC 1385 § 3)*

Institutorum vitae consecratae sodales ut scripta quaestiones religionis morumve spectantes edere possint, licentia quoque egent sui Moderatoris maioris ad normam Constitutionum.

*Can. 82 (CIC 1392 § 1)*

Approbatio textus alicuius operis textui originali, non autem aliis editionibus nec translationibus eiusdem operis suffragatur.

*Can. 83*

Enixe commendatur christifidelibus, praesertim clericis et sodalibus Institutorum vitae consecratae, ne edant, vendant aut cum aliis communicent libros qui doctrinae catholicae aut bonis moribus nocumento esse possunt.

<sup>70</sup> *Ibid.*, art. 5, 2.

*Can. 84 (CIC 1393)*

§ 1. Integro remanente iure uniuscuiusque loci Ordinarii committendi, pro sua prudentia, iudicium de libris personis quibus fidem facit, in singulis regionibus ecclesiasticis ab Episcoporum Conferentia confici potest elenchus censorum, scientia, recta doctrina et prudentia praestantium, qui Curiis episcopalibus praesto sint, aut constitui commissio censorum, quam loci Ordinarii consulere possint.

§ 2. Censor, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione seposita, prae oculis tantummodo habeat Ecclesiae de fide et moribus doctrinam, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur.

§ 3. Censor sententiam suam scripto dare debet; quae si faverit, Ordinarius pro suo prudenti iudicio licentiam concedat ut editio fiat cum sua approbatione, expresso suo nomine necnon tempore ac loco concessae approbationis; quod si approbationem non concedat, rationes denegationis cum operis scriptore Ordinarius communicet.<sup>71</sup>

<sup>71</sup> *Ibid.*, art. 6.

TITULUS V  
DE FIDEI PROFESSIONE

*Can. 85* (CIC 1406, 1407 et 1408)

Obligatione emittendi personaliter professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1° coram praeside eiusve delegato, omnes qui Oecumenico aut particulari Concilio aut Synodo Episcoporum aut Synodo dioecesanæ intersunt cum voto sive deliberativo sive consultivo aut tanquam periti; praeses autem coram Concilio aut Synodo;

2° promoti ad cardinalitiam dignitatem, iuxta Sacri Collegii leges;

3° coram delegato ab Apostolica Sede, omnes promoti ad Episcopatum, itemque promoti ad regimen Abbatiae vel Praelaturae cui proprius est populus, aut ad regimen Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae;

4° coram Collegio consultorum aut Capitulo Cathedrali, ad normam can. (*De Populo Dei*, can. 344, § 2), administrator dioecesanus;

5° coram Episcopo dioecesano eiusve delegato, Vicarii generales et Vicarii episcopales;

6° coram loci Ordinario eiusve delegato parochi aliique quibus committitur officium quod curam animarum amplectitur; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio suscepti muneris; promovendi ad ordinem diaconatus; itemque alii quibus id imponitur decreto sive Apostolicae Sedis sive Episcoporum Conferentiae;

7° coram Ordinario loci in quo sedem habet Universitas vel Facultas aut coram Moderatore Instituti vitae consecratae ad quod pertinet Universitas vel Facultas, eorumve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis catholicae, initio suscepti muneris; coram eodem Ordinario

aut eodem Moderatore, eorumve delegato, aut coram Universitatis Facultatisve Rectore, si sit sacerdos, professores catholici Universitatis vel Facultatis canonice erectae, initio suscepti muneris;

8° coram Capitulo vel Moderatore qui eos nominavit, eorumve delegato, Moderatores in clericalibus Institutis vitae consecratae.



## INDEX

<i>Praenotanda</i> . . . . .	3
Canones generales . . . . .	9
Titulus I - DE DIVINI VERBI MINISTERIO . . . . .	11
Caput I - De verbi Dei praedicatione . . . . .	12
Caput II - De catechetica institutione . . . . .	16
Titulus II - DE ACTIONE ECCLESIAE MISSIONALI . . . . .	19
Titulus III - DE EDUCATIONE CHRISTIANA . . . . .	22
Caput I - De scholis . . . . .	24
Caput II - De studiorum superiorum Institutis . . . . .	28
Caput III - De Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum	30
Titulus IV - DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS ET IN SPECIE DE LIBRIS . . . . .	33
Titulus V - DE FIDEI PROFESSIONE . . . . .	38